



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Tertia pars capituli de præsumptione

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78332)

nus dicens. Primum quaerite regnum Dei & iustitiam eius, & haec omnia adicientur vobis.

Tertium est, nimis timere ne temporalia deficiant, praefertim necessaria ad vitam: quem timorem Dominus repellit tribus argumentis. Primo, quod anima plus sit quam esca, & corpus plus quam vestimentum; quasi dicat, Deum qui animam & corpus nobis dedit, sine nostra anxia sollicitudine, daturum esse nobis, siue eadem, victum & vestitum. Secundo, quod plantis & bestijs prouideatur sine tali sollicitudine. Considerate, inquit, lilia agri, &c. Tertio, quod gentes talia inquirant: quasi dicat: Talem timorem prouenire ex defectu fidei, seu rectae existimationis de prouidentia Dei.

Quartum est, non satis confidere de habendo auxilio diuino, ad obtinenda talia bona: cui obuiat Christus inquit: Scit Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quintum est, nimium confidere suis viribus & industriae ad talia consequenda. Id quod reprehendit Dominus iniquis: Quis vestrum potest ad staturam suam adijcere cubitum vnum. Sextum est, talem sollicitudinem nimiam, protrahere in futurum; contra quod ait idem Dominus, Nolite solliciti esse in crastinum.

De thesaurizatione illud solum occurrit notandum, eam a sollicitudine, de qua dictum est differre solum, quod sit superfluum, cum illa sit necessarium: & ideo dici superabundantem in posterum prouidentiam. Est autem illicita, sicut & antedicta sollicitudo quando immoderata est, & prouenit ab affectu nimio & cupiditate diuitiarum; prohibeturque maxime per citata verba Domini nostri, Nolite vobis thesaurizare super terram. Licita est vero, cum prouenit ex affectu ordinato prouidendi suis in futurum: vt cum parentes thesaurizant suis filijs, vt eis relinquunt patrimonium sufficiens ad statum suum fouendum, vel ad filias honesto matrimonio collocandas: quomodo Apost. in posteriori ad Corinth. cap. 12. ait parentes debere thesaurizare filijs. Licita est similiter cum prouenit ex affectu pietatis: vt si aliquis thesaurizat ad aedificandam Ecclesiam, vel monasterium, vel xenodochium, vel alium pium locum: vel vt pauperes alar, aut dotem pauperibus puellis suppediet.

TERTIA PARS CAPITIS.

De presumptione.

85. **N**omen presumptionis quadrupliciter accipitur. Primo pro robusta quadam spe: vt cum dicitur Indich 6. Non derelinquis praesumentes de te. Secundo, pro coniectura quadam: vt cum Sapientiae 7. dicitur: Semper praesumit saeva, perturbata conscientia: sicque frequenter sumitur a Iurisperitis. Tertio, pro vitio per excessum opposito virtuti magnanimitatis: cum quis scilicet molitur & aggreditur ea quae facultatem suam longe excedunt: de quo D. Thomas 2. 2. quaest. 130. Quarto, pro vitio virtutis spei contratio per excessum: quomodo post D. Thomam 2. 2. quaest. 21. de presumptione in presentiarum loquimur: vt nimirum est vitium, quo quis sperat a Deo aliquid, quod secundum legem ipsius ordinatam non est possibile. Distingui potest autem in illam, qua quis nimium confidit diuinam misericordiam: & in illam qua nimium confidit humanis viribus suis vel alienis.

86. Harum prior tunc contingit, cum aliquis sperat se consecuturum veniam peccatorum sine poenitentia, & conuersione ad Deum; aut se quotiescumque libuerit etiam si perseueret in peccato, eandem poenitentiam & conuersionem habiturum: aut se non excusurum a diuina gratia, nec puniendum quantumcumque peccator sit; aut demum se consecuturum vitam aeternam sine vllis operibus meritoris. Haec vt D. Thom. in cit. quaest. 21. art. 3. ostendit: non tantum opponitur spei, sed etiam timori Dei, de quo postea: illi tamen magis, quam huic: nasciturque ex superbia, qua quis reputat se dignum, cui Deus misericordiam praestet.

Posterior vero contingit, cum quis sperat beatitudinem, tanquam debitam suis naturalibus meritis: aut obtinendam suis viribus absque Dei gratia. Qua insania laborat,

qui nihil curans de gratia Dei, sperat se beatitudinem consecuturum, quia doctus est, vel quia nobilis, aut potens in armis, aut diuitis affluens, aut aliqua alia naturali dote praestat: & haec opponitur per excessum virtuti magnanimitatis, sicut pusillanimitas per defectum: nasciturque ex inani gloria, vt D. Thom. docet in cit. q. 21. art. 4.

87. Vtraque adhuc potest esse vel pura, id est, absque haeresi, vel alia infidelitate: vt in multis Catholicis male viuentibus in quibus praesumentibus, iudicium intellectus inuenitur esse sine errore contra fidem: vel mixta id est, coniuncta cum haeresi aut alia infidelitate: cuiusmodi fuit in Pelagianis, qui praesumebant se saluandos viribus naturae & solius liberi arbitrij. Huiusmodi est etiam Lutheranorum & Caluinianorum, qui praesumunt se saluandos sola fide, sine vllis bonis operibus & meritis.

88. Praesumptio autem mixta peccatum est longe grauius, quam pura: quamquam haec quoque peccatum est mortale, tanquam notabiliter iniuriosa Deo, cuius prouidentiam & iustitiam laedit grauius: estque de numero peccatorum quae dicuntur esse contra Spiritum sanctum, vt videre est apud Nauarr. in Enchir. cap. 23. in fine: vnde nequissima dicitur Ecclesiastici 37. vers. 3. Nec in ea (vt nec in desperatione) datur excusatio ex matris paruitate: sed solum ex defectu deliberationis, vt alius citatis Sanchez in opere moral. lib. 2. cap. 34. num. 7. sub finem bene notat. Et ratio est, quia laesio attributi diuini parua censeri nequit ex parte materiae iniuria totaliter. Cum autem, sicut praedictum est: duplex sit, vna de misericordia Dei, altera de viribus humanis: illa grauius peccatum est, quam haec vt docet D. Thom. in eadem quaest. 21. art. 1. ad 1. Ratioque est quia illa facit Deum non iustum, vt qui in danda salute, nullam rationem habeat boni vel mali operis: haec vero facit hominem maiorem quam sit. At minus malum est teipsum maiorem facere quam sis, quam Deum aliqua sua perfectione minuire. Vnde intelligitur grauius nunc esse in Lutheranis & Caluinianis peccatum praesumptionis, quam olim fuerit in Pelagianis.

89. Si quaeras, an praesumptio sit peccatum maius desperatione. Respondet D. Thom. in sequenti art. 2. esse peccatum minus: quia minus est laedere Dei iustitiam, quod fit per praesumptionem: quam laedere misericordiam, quod fit per desperationem. Nam misereri semper & parcere, magis est Deo proprium propter infinitam suam bonitatem, quam punire.

Ceterum iudicandi de his peccatis obseruandum est: de ratione quidem eorum esse conformitatem voluntatis cum aliquo falso intellectus iudicio, sed non esse necessarium (quod etiam admonet Gregor. a Valen. 2. 2. disput. 2. quaest. 3. puncto 1. & 2.) id ipsum iudicium praecessisse actu, adeo vt possit quis desperatione peccare quantumuis non iudicet sibi impossibilem esse affectionem beatitudinis, si voluntate beatitudinem ipsam perinde refugiat, ac si iudicaret impossibilem sibi esse illius affectionem. Item possit peccare praesumptione is, qui quamuis non habeat iudicium falsum circa prouidentiam & iustitiam Dei in remunerandis bonis, & puniendis malis operibus: tamen voluntate sua in aeternam salutem tendit, perinde ac si ea posset sine meritis & poenitentia obtineri.

TRACTATUS III.

De charitate & ei contrarijs.

De hac materia copiose D. Thomas 2. 2. a quaest. 23. ad 45. Ad nostrum autem institutum sufficit hoc loco dicere aliquid. 1. De charitate natura. Secundo, de illius dignitate, necessitate & praeepto. 3. De peccatis contrariis charitati in Deum. Quarto, de peccatis contrariis charitati in nos ipsos: & postremo de peccatis contrariis charitati in proximum.